

Ante diem III Idus Martias

Locum praelegimus, quo Antonius Luscus Andreae Constaninopolitani argumenta refellens, syllogismo usus probat avaritiam nec utilem esse nec necessariam.

(C. Piga)

Sodales his locis adhibitis exercentur juxta disciplinam a natura profectam atque artis rhetoricae doctrinam: per synonymiam, paraphrasim, ampliationem, brachilogiam, syntaxeos demutationem, variationes, cetera.

Adagium "Argenteis hastis pugnare", quod belle nostrae aetati referri potest, praelegimus, disputamus.
(J.C. Rossi)

An avaritia utilis et necessaria sit: Antonius

ANTONIUS - «Ego quid sentiam, quaeris? Scito.» inquit «Dicta sunt multa a Bartholomaeo, meo iudicio, minime contemnenda, in quo sane laudo ingenium suum, qui, licet sit occupatissimus in his molestiis Curiae, tamen tantum studiis impartitur temporis ut haec non impolite possit dicere. Sed ea singula probemne an improbem, incertus sum animi. Verumtamen ut ita sit quemadmodum disseruit, ego tamen sequens morem Academicorum, qui contra ea quae dicerentur ab aliis disputare consueverunt, afferam quaedam secus atque ipse locutus est, quae an accipiantur a vobis, vestrum erit iudicium. Ego sane multos audivi, neque contemnendos homines, qui nulla ratione unquam cum Bartholomaeo sentirent, qui et rem mea sententia gravissimam reddidit leviusculam verbis suis, et item rem non admodum magni ponderis nimium depressit mole sermonis, ut si iretur in suffragium populi, non dubitarem quin ferme omnes aliter ac nos essent iudicaturi, cum in luxuriam multa sint illius arbitrio ac legibus constituta iudicia, in avaritiam nulla. Sed

tamen ut non iudicio populi disceptemus, sed ratione, dicam cur luxuria videatur esse mihi foedissimum crimen, avaritia non. Illud quippe maius ac foedius est vitium iudicandum, ex quo magis animus noster corpusque labefactatur et corrumpitur. At certum est luxuriam magis quam avaritiam enervare corpus et animum perturbare. Ergo fit ut luxuria turpius sit vitium. At vero luxuria et corporis et animi virtutes infringi ac dissolvi satis constat. Perdit enim omne robur intellectus et corporis vires, adeo ut luxuriosos videas insulsos, effeminatos, imbelles. Nocet illa quidem ingenio, exhaurit valitudinem, mentem ex suo statu dimovet et privat ratione[m], ex quo Seneca praeclare ut reliqua in prooemio Declamationum nihil esse dixit tam mortiferum ingeniis quam luxuriam. Haec adversatur studiis litterarum, quassat membrorum firmitatem, ex viro femellam reddit, ex docto ignarum, stultum ex sapiente, memoriae vero est inimicissima. Itaque videbitis luxuriae deditos, nullius animi, nullius vigoris, nullius prudentiae, vecordes, contemptos, abiectos. At avaros contra fortes, prudentes, industrios, severos, temperatos, et animi magni, et plurimi consilii. Luxuria quoque semper nocuit, avaritia profuit aliquando. Altera nulli concessa aetati, alterius videtur quasi senectutis aegritudo communis, et in ea nonnihil toleranda. Non subvertit animum, non exagitat ingenium, non aufert studia litterarum et sapientiae disciplinam. Nam et in omni genere doctrinae excellentissimos viros, et in republica praestantes, scimus avaros fuisse. Reges insuper et egregios principes, quorum virtus maxime claruit, avaros accepimus, ut si alterum mihi sit eligendum, malim avarum me quam luxuriosum videri. Neque

enim puderet ascribi in eo numero, in quo et reges plurimi fuissent, et doctissimus philosophorum Aristoteles, multique praeterea egregii in suis studiis viri et philosophiae dediti, ab Luciano graeco auctore fuisse enumerantur; quorum tanta est auctoritas, tanta dignitas, ut eorum nomen commemoratioque, absque alio patrocinio absque argumentis, possit avarorum causam satis defendere. Sed seponamus auctoritatem quamlibet, et quid a te qua ratione dicatur discutiamus. Putasti primum ideo avaros dictos, quod essent aeris, auri, argenti, nimium cupidi; quod si ita est, ut omnes cupidiores pecuniae appellentur avari, censebuntur rei hoc nomine fere omnes. Omnia enim ab omnibus agenda suscipiuntur pecuniae gratia, ducimurque omnes lucri cupiditate, neque eius parvi, quod si sustuleris, negotia operaque omnia penitus cessabunt. Quis enim quicquam aget, remota spe utilitatis? Quae quo maior ostendetur, eo libentius negotia quaelibet aggrediemur. Illam sequuntur omnes, illam appetunt. Nam sive rem militarem, sive mercaturam, sive cultum agrorum, sive artes has, quas vocant mercennarias, consideres, sive eas etiam quas appellant liberales, videtur singulis praeposita esse ingens pecuniae cupido ob eamque adiri labores et discrimina quae subimus. Quicquid tractamus, operamur, agimus, eo spectat, ut quam multum commodi ex eo capiamus. Quod quo amplius fuerit, eo maiori afficimur laetitia, atque commoda nostra fere pecunia pensantur. Igitur pecuniae, hoc est avaritiae, causa, fiunt omnia. Quid enim – ne de vilioribus exercitiis loquar, quorum late patet finis – leges in vita tractantes aliud ducit, quid aliud trahit nisi pecuniae cupiditas non parva, et uberius lucrandi

facultas? Quid item medicos? Quid reliquos, qui se ad liberalium artium studia conferunt? Nonne quaestus aviditate pelluntur, ut quam primum facultatem suam in medium proferant, venditioni illam exponentes? Et res cognitione dignas nullam aliam ob causam se prosecutos testantur, nisi ob avaritiam, hoc est auri et argenti cupiditatem. Confer te ad sanctiores disciplinas, philosophiam, theologiam; sciendine causa an plurimum lucrandi tanta ponitur in his edocendis opera? Quid loquar de sacerdotibus nostris, quorum studia manifestius apparent? Num aliud spectant, quaerunt, ambiunt, sub fidei velamento, nisi ut parvo labore divites fiant? Quanta non sollicitudine, sed importunitate et impudentia, haec petunt quae vocant beneficia, mihi autem animae maleficia videntur, divitiarum gratia! Quae quo sunt opulentiora, eo maiorem in ea concursum atque impetum fieri videmus. Nisi forsitan propter salvandam animam, non propter vitam in deliciis degendam, ea tantopere putas expeti! Illi ipsi, qui sub hypocrisi haec aspernari se fingunt, id agunt ut non quaesita ab eis, sed ultro virtuti ac meritis suis delata videantur. Perlustres licet singula exercitia, sive quae animo sive quae corpore administrantur; nihil vacuum reperies ingenti cupiditate. Quicquid inter mortales tractari vides, quicquid periculorum suscipi, eo spectat ut inde aurum atque argentum excudatur. Quod mihi quidem videtur nulla ratione improbandum.

Antonii argumentatio pro avaritia syllogistice expressa

a) *Omnes cupidiores pecuniae appellantur avari.*

Ai fini dell'analisi del ragionamento, tale premessa può compendiarsi in questi termini: "Chi ama il denaro è avaro". La premessa è condivisa dagli interlocutori e si fonda sull'autorità dell'etimologia. Quindi introduce la premessa minore:

b) *Omnia suscipiuntur pecuniae gratia.*

In forma sillogistica normale: "S'intraprende per amore del denaro".

La premessa è argomentata con esempi tratti da tutte le attività umane, sia quelle che hanno evidente fine di lucro (la milizia, il commercio, l'agricoltura ecc.) sia anche le nobili arti liberali. La conclusione è:

c) *Avaritiae causa fiunt omnia.*

L'espressione può riformularsi in questi termini: «Per fare impresa occorrono gli avari».

Exempla variationum in usum discipulorum proposita

Textus Poggii:

Quicquid inter mortales tractari vides, quicquid periculorum suscipi, eo spectat ut inde aurum atque argentum excudatur.

Variatio per synonymiam, salva syntaxi verborumque ordine fere servato:

Omnia quaecumque homines agere cernis, quaeve periclitari, illuc pertinent ut divitiae ex illis pariantur.

Exemplum paraphrasis, mutata syntaxi, vocabulis plerumque servatis:

Nihil mortales tractare videntur, nihil periculi suscipere, nisi ut inde aurum atque argentum sibi excudant.

Paraphrasis per ampliationem:

Quum inter omnes constet homines ceteris animantibus iccirco praestare, quod, non minus ingenio quam instinctu naturae, industrii sint ac sollertes, tamen plerosque eorum non alia de causa magnos labores, eosque periculi aleaeque plenos, suscepisse comperimus, quam ut ingentem sibi copiam divitiarum compararent, opes auferrent, aurum aggererent auro, argentum argento.

Paraphrasis per brachilogiam seu brevilocationem:

Nihil suscipiunt mortales, nisi auri fame impuls.

Sensus demutatio, salva syntaxi:

Quicquid inter mortales neglegi vides, quicquid averti, eo spectat ut argento auroque careant.

1643. II, VII, 43. **Argenteis hastis pugnare**

Αργυρέαις λόγχαις μάχεσθαι, id est *Argenteis hastis*¹ *pugnare*, dicuntur qui, cum negotium alio pacto confici nequit, muneribus et largitione² perficiunt. Nihil autem tam arduum, quod pecunia non explicetur, quemadmodum eleganter dictum est a M. Tullio, actione in Verrem secunda, *nihil esse tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit*³. Ortam aiunt paroemiam ab oraculo quodam Apollinis Pythii, qui Philippo regi⁴ consulenti, quo pacto posset victoria potiri, responderit ad hunc modum :

Αργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις, id est *Argenteis pugna telis, atque omnia vinces*, videlicet innuens, ut quosdam largitionibus ad prodicionem sollicitaret atque ita consecuturum quae vellet.

¹ Sarisae appellabantur Macedonum hastae, ac metonymice Macedones ipsi; sarisophori milites his armati, qui phalangis erant nervus. Proverbium non modo largitiones innuere, sed etiam argentifodinas videtur, quibus fuit insignis Macedonia.

² Ut munus, ita largitio diversa significare potest, sed largitio seu in bonam seu in malam partem accipitur: largus enim qui est bernevolentiam aliorum consecatur, quos beneficiis vel donis cumulat; tamen alii ita se gerunt, tantum quia prodigi sunt indole et amicitiarum appetentes, alii ut pretio eos corrumpat, quos sibi utiles fore existimant. Nostra autem aetate homines, qui rei publicae dant operam, largitionis suspicionem haud immerito recipiunt...

³ In Verrem, I, 4.

⁴ Philippus, hujus nominis secundus (Pellae anno 382, Aigiis 336 ante Chr.n.) Alexandri Magni pater, ab anno 359 ad annum 336 Macedonibus regnavit. Memoriae proditum est eum saepenumero Pythiam consultum adisse.